

ma non habeat propriam existentiam. Num. 13. Ponuntur duodecim rationes probantes, quod materia prima de se habeat actum entitatum. Num. 14. Afferuntur nouem rationes probantes, quod materia prima habeat propriam existentiam. Num. 15. Soluuntur rationes probantes materiam primam non habere actum entitatum. Num. 16. Soluuntur rationes impugnantes existentiam propriam materiae. Num. 17. Soluuntur rationes concedentes actum entitatum materiae primae. Num. 18. Soluuntur rationes excedentes materiae propriae existentiam. Num. 19. Determinat Auctor, quod materia prima de se habeat actum entitatum, & probat. Num. 20. Determinat Auctor materiam habere propriam existentiam. Num. 21. Determinat, quod materia prima habeat propriam substantiam. Num. 22. Rationes contra Resolutionem ultimam proponuntur, & soluntur. Num. 23. Concluditur, quod equali appetitu materia feratur ad omnes formas. Num. 24. Proprietates materiae primae adducuntur. Num. 25. Potentia particularis materiae primae est ipsi materiae accidentalis, at potentia universalis est ipsi essentialis. Num. 26. Quomodo materia prima sit una numero, & quomodo non explicatur. Num. 27. Determinatur, quod verè dentur formae substantiales. Num. 28. Determinatur formae non praeesistere in materia secundum aliquid actuale sui. Num. 29. Concludit Auctor formae substantiales praeesistere in materia secundum suas virtutes seminales. Num. 30. Proponuntur rationes, praesertim Aureoli contra resolutionem secundam, & soluntur. Num. 31. Determinatur, quod formae etiam materiales habeant propriam substantiam. Num. 32. Duplex est priuatio Physica.

Partitio I.

De principijs Physicis in vniuersum.

Num. 1. Proponitur doctrina communis circa principia Physica.

Primo proponemus doctrinam communem circa principia Physica, deinde ex propria mente de illa iudicium feremus.

Immoratur plurimum Aristoteles in referendis, & confutandis veterum Philosophorum circa principia Physica opinionibus, alij enim ponebant vnum, alij plura principia nonnulli ignem, alij terram, alij quosdam atomos, alij aërem, quae omnia fusiſſimè relata vide apud Perrierum lib. 5. sua Physica, qui plus quàm centum paginas replet in ijs inutiliter referendis.

Pro doctrina communi multa sunt aduertenda. Primum. Varios varias difficultates praemittere ex occasione quorundam dictorum Aristotelis, contra Parmenidem, & Melissum, v.g. de distinctione totius, & partium, de terminis rerum naturalium, & huiusmodi, quae tamen difficultates opportunjorem habent locum. Quare hic intactas remitemus, item maximam illam de primo cognito, an videlicet vniuersaliora sint priora cognitione minùs vniuersalibus. De hac enim commodius in libris de anima, dum inquireretur de intellectus obiecto.

Item hic mentionem faciunt Auctores de cognitione cuiuslibet rei, scilicet an perfecta cuiuslibet rei cognitio omnium causarum intelligentiam deponat, sed huius rei existimo facillimam resolutionem, nam certè perfecta simpli-

citor, & absoluta alicuius rei cognitio postulat omnium eius causarum notitiam, quia absolutè perfecta rei cognitio debet haberi per ea omnia, quibus res constituitur, sed quilibet res constituitur per quatuor genera causarum, ergo per illa quatuor debet cognosci, & illa cognitio vocatur comprehensua, illa verò quae non est per quatuor genera causarum, dicitur apprehensua.

Ex quo facile est respondere ad illam difficultatem, quae hic quaeritur, an qualibet scientia demonstret per quatuor causarum genera?

Respondendum enim est primo, Metaphysicam demonstratiuè per quatuor genera causarum concludere, est tamen contra Toletum, hic quaest. 2. sed probatur inductione. Probat enim Metaphysica per causam efficientem, dum demonstrat omnia creata prouenire ab vno primo increatoque ente: Per finalem verò in quantum ostendit omnia creata referri ad vnum increatum, vt ad suum finem, de materiali possit esse difficultas, quia Metaphysica abstrahit à materia, sed certè licet non consideret materiam prout materia est, tamen eam intuetur, vt ens est, aut aliter dico, quod genus in Metaphysica locum materiae teneat, & differentia locum formae, vnde dum demonstrat per genus, & differentiam, idem est, ac si demonstraret per materiam, & formam.

Respondendum secundo, Physicum quoque demonstrare per quatuor causarum genera: Ita Philosophi communiter post Aristotelem hic, & ratio est, quia ex professo tractat de quatuor causis, deinde agit praesertim de rebus corruptibilibus, & generabilibus, res autem sunt corruptibiles, & generabiles per quatuor causarum genera, ergo Physica debet ostendere ortum, & incrementum per quatuor causarum genera, sed in ijs non necessarijs moram non facimus.

Aduertendum secundo, principium esse illud, à quo aliud procedit, differre quae à nomine causae, quod causa verum importet influxum, verè, quae influat in effectum, at nomen principij non ita, vnde licet causa dicatur principium, quia à causa aliquid promanet, non tamen omne principium dicitur causa, vnde principium est aliquid latius, & vniuersalius, quàm causa, pluri-busque conuenit nomen principij, quibus tamen non conuenit nomen causae, Pater enim in Diuinis est principium Filij, non tamen causa Filij, vt communiter loquuntur Latini Theologi contra Graecos.

Aduerte tertio, quod ad Physicum de principijs agere spectet, nam quilibet scientia tractat de suis principijs, non quidem quaerendo an sint? quia hoc debet supponere, sed quaerendo quid sint? ergo Physica rectè indagabit naturam suorum principiorum.

Aduerte quarto, principia Physica sic defini ab Aristotele. Principia Physica sunt, quae nec ex sese, nec ex alijs, sed ex ipsis omnia sunt, intellige omnia entia naturalia, nam res Metaphysicales, Logicales, &c. non sunt ex principijs Physicis, illa autem definitio solis principijs Physicis conuenit, quae tria enumerantur, nempe materia, forma, & priuatio.

Aduerte quinto, quando principia dicuntur non fieri ex alijs principijs intelligi ex alijs principijs

Num. 2. Per quam genera causarum demonstrat quilibet scientia.

Quid sit principium?

Ad Physica spectat agere de principijs.

Num. 3. Explicatur definitio principiorum Physicorum.